



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. CCXVI. Incipit bellum Lethowinorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

*Burchardus de Schwenden IX. Mag. Gen. Ord. Teut.**Conradus à Tierberg Junior XII. Magister Prov. in Prussia.*

(b) Barbarè demerita dicuntur pro peccatis. Vid. Voss. *lib. i. de Vitiis Sermonis cap. 33. p. 144.*

Animadversio ad Vitam Bernhardi de Schwenden Magistri Generalis.

De Bernhardo à Schwenden plura habet Jeroschinus. Tradit enim ille, Burchardum in Palæstinam cum quadraginta fratribus se contulisse, ut Acconam à Soldano obsidione cinctam defenderet. Sed postquam à Clero & civibus Acconensibus magnâ cum pompâ esset receptus, postmodum in Capitulo munus suum resignasse, Ordinemque Joannitarum cum consensu Pontificis intrasse; Tandem in ultimo mortis articulo regressum ad Ordinem Teutonicum anxie, sed frustra, petiisse, *fol. 144. b.* Auctor Chronici Latino sermone sub Friderico Duc. Sax. & Mag. Prussiae scripti, hæc habet: *Qui cum satis optimè Ducatum Venetiis VII. annis tenuisset, nescio quo Spiritu ductus per mare navigavit in Accaron, ibique officium Magistratus sui resignavit licentiâque obtentâ in Ordinem S. Joannis se recepit. Quem tamen postea penituisse legimus, & religionem iterum petivisse, sed petitionem non obtinuit, & ita anxietate præventum carnis debitum solvit in Rhodos Insula. Hæc ibi.*

CAP. CCXVI.

Incipit bellum Lethowinorum.

ANno Domini MCCLXXXIII. eo tempore, quo ab incêpto bello contra gentem Pruthenorum fluxerant jam (a) LIII. anni, & omnes nationes in dictâ terrâ expugnatae essent, & exterminatae, ita quod unus non super esset, qui Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ non subiceret collum suum. Fratres domus Teutonicæ prædicti contra gentem illam potentem & durissimæ cervicis exercitatumq; in bello, quæ fuit Vicinorum terræ Pruthia ultra flumen Memele in terra (b) Lethovia habitans inceperunt bellum in hunc modum.

ANI-

Burchardus de Schwenden IX. Mag. Gen. Ord. Teut.
Conradus à Tierberg Junior XII. Mag. Prov. in Prussia.

ANIMADVERSIONES.

AD CAP. CCXVI.

- (a) Codex Regiomontanus habet LXXX. sed perperam. Restituimus itaque locum ex Jeroschino, qui annos 53. habet. Videlicet pacta cum Ordine Teutonico inita sunt Anno 1226. Bella verò Prussica gerere cœpit Ordo Teutonicus anno 1230. continuaritque usque ad An. 1283.
- (b) Bellum Lithvanis illatum fuit ob auxilia Prussis contra Ordinem creberrimè missa, præsertim Pelusâ (ut Cojalovvicius putat) Crucigeros ad bellum inflammante. Alb. Wijuk Kajolavvicz *part. I. Hist. Litv. lib. VI. p. 184.* Gestum est illud bellum ultra centum annos. Winricus à Kniprode Magister Generalis Annales recensendo suo jam tempore deprehendit, bellum cum Samogitis 85. annos gestum fuisse: in acie occumbentibus Christianis ex Crucigeris fratribus nobili profapia oriundis 49. ex illustribus familiis 28. ex Ordine Civico 4000. ex nobilibus familiis 11000. ex gregariis militibus 8000. ex Advenis & Hospitibus 15000. Ex Rusticis partim, interfectis partim in captivitatem abductis 168000. *Vid. Cælestinus Mislenta in Præfat. ad Manuale Pruthenicum.*

CAP. CCXVII.

De

Expugnatione Castri Lethovia dicti Bisene.

FRATER Conradus de Tierberg Magister terræ Pruschia prædictus, & multi fratres cum magno Exercitu tempore Hyemali transierunt glaciem Memelæ, & intrantes terram Lethovia castrum dictum Bisenam à mane usque ad Meridiem fortiter impugnaverunt, tamque infesti erant in dicta impugnatione, quod occisis multis de castro & lethaliter vulneratis tandem poten-

P p a

ter